



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. De Causis ad dispensationem requisitis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

IX. Quaritur ultimo; An possint etiam Religiosi Mendicantes dispensare aliquando in aliquo impedimento matrimonii?

Respondeo, nonnullos docere, quod a Leone X. concessum iis sit privilegium ad dispensandum cum illis, qui scienter, vel ignoranter contraxere matrimonium cum impedimento affinitatis occulto, nec deducto in iudicium. Communiter tamen id negant cum Rodriq., Henr., Perez disp. 46. sect. 7., quia tale privilegium nec extat, nec est in usu. Solum a Pio V. concessum est Franciscanis privilegium, ut possint dispensare in foro conscientiae ad petendum debitum cum iis, qui consanguineum, vel consanguineam sui conjugis post matrimonium carnaliter cognoverunt; quo privilegio gaudent etiam Patres Societatis, ex concessione tamen Patris Provincialis. Præterea conceditur Mendicantibus, ut possint dispensare cum Infidelibus ad fidem conversis, qui tempore infidelitatis contraxerunt matrimonium in gradibus solo jure Ecclesiastico prohibitis, ut in eo permanere valeant. Verum, ut advertit Perez, talis concessio data est ad superabundantiam; quia matrimonium contra leges Pontificias tempore infidelitatis contractum est validum, ut supra diximus; unde nulla indigent dispensatione huiusmodi Infideles; immo peccarent, si matrimonium vellent dissolvere.

ARTICULUS II.

De Causis ad Dispensationem requisitis.

- I. Ut sit valida dispensatio Inferioris in lege Superioris, satis est, quod causa probabiliter reputetur sufficiens.
- II. Valide Legislator, quamvis illicitè dispensat sine causa cum subdi-

is suis. At secummet in tali lege etiam invalide dispensat.

III. Peccat mortaliter, qui in re gravi sine causa dispensat in lege Superioris; Sicut etiam qui talem dispensationem petit; & qui ea utitur.

IV. Qui vero in propria lege sine causa dispensat, probabiliter peccat solum venialiter; sicut etiam qui petit talem dispensationem, & qui ea utitur.

V. Plures enumerantur causa, ob quas peti potest dispensatio in impedimentis matrimonii.

VI. Ad dispensandum in impedimento Voti duplex causa a Doctoribus assignatur.

VII. Quanam sit causa sufficiens, ut dispensetur in impedimento Sponsalium?

I. **Q**uaritur primo; An dispensatio legis universim requirat causam, ut sit valida?

Respondeo, & dico primo, invalidam esse dispensationem Inferioris in lege Superioris, si fiat absque legitima causa. Ita communiter cum Sanch. lib. 8. disp. 17., Perez disp. 49. sect. 2. Probatur, quia intantum potest Inferior dispensare aliquando in lege Superioris, inquantum præsumitur hic, & nunc necessitate urgente, quod Superior concedat Inferiori talem facultatem; atqui non præsumitur, quod velit Superior concedere facultatem dispensandi sine causa rationabili; ergo dispensatio isthæc sine rationabili causa est invalida.

Hinc sequitur primo, Episcopum sine iusta causa invalide dispensare tam in votis, quam in lege Pontificia, puta in lege jejunii.

Sequitur secundo, Papam invalide dispensare in voto, aut juramento sine legitima causa: Sicut enim si Oeconomus, vel Procurator remittat debita, quæ debentur suo Domino sine

sine voluntate Domini, nihil operatur, & debitum non exinguitur; ita Papa, qui est dispensator, non dissipator mysteriorum Dei, invalide cedit juri a Deo per votum acquisito, si non interveniat justa causa, ratione cujus interpretetur divinam voluntatem, ejusque voluntatem exequatur.

Sequitur tertio, Papam invalide dispensare in quacumque lege divina, aut naturali sine causa: Immo nec cum causa potest in rigore dispensare, sed solum, ut diximus, poterit mentem divinam interpretari. Quare si posset, verbi gratia, dispensare, ut Sacrificium offeratur solum sub specie panis in locis, ubi vinum haberi non potest, (quod communiter negatur) interpretaretur potius, quam dispensaret in lege divina, existimando, quod praestet offerre sacrificium non integrum, quam nullum Sacrificium offerre.

Notandum tamen, quod si Inferior probabiliter, ac prudenter judicat bona fide, causam dispensandi in lege superioris hic, & nunc esse justam, ac legitimam, dispensatio erit non solum valida, sed etiam licita; quamvis revera causa non sit sufficiens ad dispensandum. Ita Sanch. lib. 8. disp. 27. contra Pal. & Pont. apud Perez; qui requirunt evidentiam causae sufficientis ad dispensationem, ut valide, & licite dispenseretur. Ratio nostrae doctrinae est; quia opinio probabilis satis est ad licite operandum; ergo si probabile est, causam esse justam, ac sufficientem ad dispensationem, licita erit dispensatio, & consequenter etiam valida; quia praesumitur, Superiorem velle validam esse dispensationem factam ab Inferiore prudenter, & humano modo, seu cum opinione probabili, ut innumeris scrupulis occurratur. Concedo equidem, bonam fidem operantis aliquando satis esse solum ad

Pars VII.

licite, non ad valide operandum; Verbi gratia, si quis bona fide ductus opinione probabili, seu putata probabili, contraheret matrimonium cum consanguinea in gradu prohibito, hic licite, sed invalide matrimonium contraheret: At dicendum in casu nostro, etiam validam esse dispensationem, quando ex opinione probabili causa ad dispensandum censetur esse justa, & sufficiens, etiam si revera sit insufficientis. Ratio est, quia incredibile est, Deum, & Papam velle obligare Inferiores Praelatos, ut plusquam humano more, & modo habeant evidentiam causae ad dispensandum; Quare satis erit probabilis, & prudentialis cognitio, quae ad operandum honeste, & humano modo satis est.

II. Dico secundo, Validam esse, quamvis illicitam, dispensationem in lege ipsiusmet Legislatoris factam abique legitima causa. Ita Doctores citati communiter. Probatum, quia Legislator in propria lege operatur tamquam Dominus; ergo sicut Dominus prodigus valide transfert suorum bonorum dominium, quamvis prodigendo peccet; ita Legislator valide in propria lege dispensat, quamvis sine justa causa dispensando peccet, cum abutatur sua potestate.

Notandum tamen cum Suar. de legibus lib. 6. cap. 19. contra Pont. apud Perez hic, quod si Legislator secummet in lege sua dispenseret sine justa causa, invalide secum dispenseret, quamvis in eadem lege valide dispenseret cum suis subditis. Ratio disparitatis est, quia Superior ad servandam suam legem non obligatur ab ipsa lege sua; cum nemo possit sibi imperare; sed obligatur ex vi legis naturalis, qua Superior tenetur conformare se communitati, & esse caput membrorum uniforme; atqui Superior in lege naturali invalide dispenseret sine justa

V

sta

ita causa, ut diximus; ergo si Superior sine justa causa eximat se a sua lege, invalide operatur: Contra vero valide in sua lege dispensat cum subditis; quia subditi immediate obligantur a lege Superioris.

III. Dubium est; Sitne mortale, an veniale concedere, petere, acceptare dispensationem, vel illa uti, deficiente causa legitima?

Respondeo, certum esse, quod nisi levitas materiae excuset, mortaliter peccet, qui sine causa dispensat in lege divina, aut in lege sui Superioris; nec non qui talem dispensationem sine causa petit, & qui ea utitur. Et ratio est manifesta, quia talis dispensatio ex dictis est invalida.

IV. Certum etiam est, quod Legislator sine justa causa dispensans in lege propria peccet; Solumque dubitatur, num peccet venialiter, an mortaliter? Quod peccet, probatur, quia Legislator respicere debet bonum communis sibi subditi, cum non sit illius absolutus Dominus, sed Pastor, & Rector; & ut Apostolus loquitur, Minister, & Dispensator; unde fit, quod non possit condere leges in commodum privatum, sed in bonum commune; atqui dispensatio sine justa causa facta in propria lege est contra bonum commune, cum gravet inaequaliter subditos, & det occasionem querelarum; ergo Legislator sic dispensando peccat. Circa dubium vero; Utrum peccet mortaliter? Afirmat Suar. lib. 6. de legibus capit. 18. & alii; quia talis dispensatio esset contra justitiam distributivam, cum sit directe Acceptio personarum; hæc autem ex genere suo est culpa mortalis; præsertim quando radicatur in obligatione proprii officii. Verum Sanch. lib. 8. disp. 18., Salas, Pal., & alii apud Perez disp. 45. sect. 4. putant esse veniale, si scandalum vitetur, nec sequatur notabile damnum alio-

rum; quale esset, si nimium alii gravarentur, ut Titius amicus eximatur ab obligatione, verbi gratia, solvendi tributum. Ratio est, quia non videtur gravis deformitas, partem aliquam non se conformare toti communitati ex arbitrio Principis. Unde sequitur, quod Legislator non observans propriam legem probabiliter solum venialiter peccet, quoties non est gravis deformitas, quod caput a suis membris difformetur, & scandalum vitetur.

Qui vero petit, & acceptat dispensationem legis sine causa factam a Superiore in propria lege, ex doctrina Suar. peccat etiam graviter: Petens quidem, quia petit rem illicitam, & inducit Legislatorem ad peccatum; Acceptans vero, quia peccato dispensationis cooperatur; dispensatio enim non potest suum effectum sortiri sine acceptance. Uterque tamen juxta sententiam laudatam Sanch., Salas, Pal. videtur peccare solum venialiter, si scandalum vitetur, nec sequatur grave damnum aliorum.

Demum qui tali dispensatione utitur, Sanch. lib. 8. disp. 18. putat, probabile esse, quod cessante scandalo, & aliorum damno notabili, non peccet; Probabilius tamen esse, quod venialiter peccet; non quidem contra legem, in qua dispensatur, sed contra jus naturæ, quæ dicitur, neminem debere absque justa causa a suo toto, seu a communitate, cujus est membrum, discrepare.

Notat tamen Sanch., quod petens sine causa dispensationes matrimoniales, exhibendo copiosam elemosynam, non peccet; (sicuti nec qui sine causa iis petitis utitur) Ratio est, quia quamvis sine causa petantur, non conceduntur tamen sine causa. Etenim pro causa concessionis succedit copiosa pecuniaria compositio, seu elemosyna data in bonum, ac sumptus publicos, sicut

sicut accidit in concessione privilegii Bullæ Cruciatæ.

V. Queritur secundo; Quanam sit iusta causa dispensandi in impedimentis matrimonii, præsertim dirimentibus Cognationis, & Affinitatis?

Respondeo, plures causas a Doctoribus enumerari; Prima ad sopiendam gravem litem, & discordias, vel ad vitanda peccata, & scandala: Secunda, quando non reperitur commodum matrimonium cum extraneis; ut si femina deberet aliter extra suam Patriam nubere, & sic semper exulare a suis, quod est valde durum: Tertia, defectus dotis; unde non possit femina Sponsum se dignum, nisi ex propinquis, invenire: Quarta, conservatio divitiarum in eadem domo, vel familia; Quinta, conservatio familiæ illustri intra eundem sanguinem; Sexta, Excellentia meritorum erga Ecclesiam vel petentis dispensationem, vel ejus, in cuius gratiam petitur; Septima, matrimonium bona fide contractum; Octava, copiosior pecuniaria compositio ad aliquod opus pium; Et universim quælibet alia rationabilis causa iudicio prudentis, & docti viri discernenda.

Notandum tamen hic primo, Ecclesiam sine ulla nota acceptionis personarum facilius dispensare cum Magnatibus, & divitibus, quam cum aliis. Ratio est, quia utilitas publica magis ab iis pendet, & expedit ipsi Ecclesiæ eos habere faventes.

Notandum secundo, quod eo major causa ad dispensandum requiratur, quo cognatio, vel affinitas est arctior. Trident. sess. 24. cap. 5. dicit, in secundo gradu dispensandum non esse, nisi inter magnos Principes: Sanch. tamen lib. 8. disp. 19. docet, inter magnos Principes recenseri posse etiam Barones, & iis Superiores; Docet etiam, in maternitate, & paternitate spirituali difficillime dispensari;

nimirum inter levantem, seu tenentem in Sacro fonte, & levatum; quia cognatio spiritualis arctior est, quam carnalis, utpote procedens a nobiliori principio: Unde Abbas, Mandosius, & alii dicunt, nunquam legisse, quod Ecclesia Romana circa cognationem spirituales dispensarit. Fertur tamen Alexander VIII. (necnon alii Pontifices novissimi) in ea dispensasse: Ceterum minus difficilis est dispensatio in Compaternitate, seu inter levantem in Sacro fonte, & levati patrem, aut matrem, quam in Paternitate explicata; quia Compaternitas est cognatio spiritualis in secunda specie, seu gradu; Paternitas vero est in primo gradu, ut notat idem Sanch. loc. cit.

VI. Præterea ad dispensandum in impedimento impediendi voti, duplex a Doctoribus assignatur causa, ut notat Con. Prima ex parte materiæ, quando scilicet dubitatur, an votum ab initio obligaverit, an cum deliberatione fuerit emissum, an mutatis circumstantiis votum sit impeditivum boni majoris, &c., Secunda ex parte votentis, quando scilicet ex animi levitate, & repentino motu, sine maturatione consideratione votum emisit; Vel si causa ad emittendum votum omnino desit; ut si vovisses castitatem, quia volebas ingredi certam Religionem, ad quam tamen non potes admitti; Vel si cum magna difficultate poteris votum servare, vel si ad publicam pacem conferat nubere.

VII. Denique ad dispensandum in impedimento impediendi Sponsalium sufficiens causa est, si timeatur, sponsam futuram occasionem peccandi sponso; aut si ex matrimonio cum altera speretur publica pax, vel extinctio, seu impeditio gravium discordiarum.